DIVA CATHARINA

Panegyrica Dictione Celebrata

CORAM

Antiquissimæ, ac Celeberrimæ

UNIVERSITATIS VIENNENSIS

Senatu, Populóque Academico,

DUM

In Principe D. STEPHANI

Proto-Martyris Basilica

INCLYTA FACULTAS PHILOSOPHICA,

Ejusdem TUTELARIS suæ annuam memoriam solenni ritu obiret.

DEFERENTE

Reverendissimo, Perillustri, ac Clarissimo

DOMINO

BARTHOLOMÆO JOSEPHO TRILSAMB.

AA. LL. & Philosophiæ Doctore, SS. Theologiæ Baccalaureo Formato, Proto-Notario Apostolico, Sac. Cæs. Regiæque Cathol. Majest. Aulæ Parocho, & Eccles. Metropol. ad S. Stephanum Beneficiato,

Nec non

Inclytæ Facultatis Philosophicæ p. t.

DECANO SPECTABILI.

PERORANTE

PRÆNOBILI ADOLESCENTE

FERDINANDO ab AICHINGER,

Austriaco Viennensi, Rhetoricæ Studioso.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Gregorii Kurtzböck, Universitatis Typogr. Anno Salutis 1735.

ILLUSTRISSIMO

VIRO

DOMINO, DOMINO

JOANNI CHRISTOPHORO

S. R. I.

LIB. BARONI

A

BARTENSTEIN;

CAROLO
CAESARI AUGUSTO

Ab

ARCANIS STATUS

Regundisque Provinciis
Auſtriacis

MUSAGETAE AC MECAENATI
BENEFICENTISSIMO.

ILLUSTRISSIME DOMINE,
DOMINE
MECAENAS.

Lexandrina Pallas CATHARINA *Nomine* Tuo *Scutoque, honorificentiſſimo Sapientiæ & Fortitudinis ornamento, ſuperbit;* DOMINE! *Quandoquidem ſacratae Virginis regia dignitas cum Senatorii ordinis, & triumphantis togae claritudine mirifice conſpirat, ad impetrandam favoris gloriam, qua omnes quidem bonos*

bonos comiter benigneque admittis, ſed Parentem meum propria & propitia quadam animi inductione complecteris.

Quod ego in optima ſpe pono, fore ut pariter mihi in Tuis *maximis curis aliquid impertias temporis, quo Sapientiſſimae Fortiſſimaeque Heroinae res geſtas, & tuas ſimul laudes, nuda atque inornata brevitate dicam.*

Quemadmodum CATHARINA primis & imis maxime amabilis atque admirabilis, Sapientiam vitae ſuae ducem habuit, &, uſque ad mortem fortis, non dubitavit capite cavere, quae Dominus repromiſerat; Ita non tantum praeceptis, ſed etiam ipſo rerum uſu edoctus, in illa civili arte, quam Πολιτικην *vocant, Regiae imaginem Sapientiae exhibes: ut in hac celebritate Reip. noſtrae, in ſacro conſiſtorio palati-*

no

no, in allocutione ad Administros, in responsis ad Legatos, in omni sermone, non verba, sed oracula edere videaris. Quid dicam de perpetuis in hac tam varia sorte laboribus assiduisque studiis, quibus arcana **Domus** *augustae innituntur?* de **Tua** *singulari procuratione ac providentia, ne caussam* **Principis** *tot ingenia superare possint? de subtili sublimique Judicio, atque memoria ad prodigium tenace? qua ritus, instituta, mores, linguasque omnium cultiorum gentium calles? quid denique de candidissimis, & intra fortunam compositis moribus, oris corporisque decore, quo tibi concilias animos, atque difficillimam societatem illam gravitatis cum humanitate? quae virtus in summis hominibus summa est,*

Igi-

Igitur Divini Numinis *auram ſupplex precor, ut, volens propitiaque, hunc* Tibi *intelligentem regundae civitatis animum ſervet; & poſt hanc illa* Te *civitate donet, in qua ſuum quisque bonum intelligit. Morior*

IMMORTALI TUO
NOMINI

Devotiſſimus

FERDINANDUS ab AICHINGER.

ORATIO.

VIctricem furoris & amoris extitiſſe CATHARINAM, ætate tenerâ, liberalíque formâ Virginem, portentum maximum videri poſſet; niſi ijs imbuta ſacris, ijs præceptis ad certamen comparata deſcendiſſet in arenam, quibus Chriſtiana religio ad ſtuporem alienarum à ſe gentium in naturam facit prodigia tranſire. *Reverendiſſime, Perilluſtris, ac Magnifice Domine RECTOR; Reverendiſſime, ac Spectabilis Domine DECANE; Inclyta facultas Philoſophica; Senatus, Populúsque Academice.* Quis enim rectè credentium ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio ad hæc uſque tempora fuit unquam, qui tantâ admiratione teſtatam graviſſimis in tormentis Martyrum Conſtantiam exceperit, quanto animi ſtupore ruinam illorum fuit proſecutus, qui in communionem veræ fidei recepti, ad virtutem diu multúmque exercitati, tum demum â Deo, & religione deſciverunt perfidi, cùm propè jam victores inter cruciatuum initia ab effuſo ad ſpectaculum populo proclamarentur? Neque mirum id cuipiam videatur, velim. Nam quòd omnis generis, ſexûs, ætatísque homines ſub ictu gladij hilares, & exporrecta fronte operiri mortem; quòd puellas repudiatis Sponſis ad vincula & ſecures, tanquam ad nuptias, convolare; quòd pueros, rationis vix ſatis compotes, jocari in cruciatibus conſpicerent; abeuntibus in conſuetudinem miraculis hæſerunt attoniti Chriſtianorum animi, ſi cui ſuorum accidiſſe quid humanitus accepiſſent. Habet nempe occulta ſua cum mortalibus fœdera Numen; & quos ſuis ſub auſpiciis in campum educit pugiles, arcana quadam virtute ſic corroborat, ut neceſſe ſit non ſuccumbere, ubi vincere naturæ vires excedit.

Quod quidem quàm luculento comprobârit teſtimonio Diva Tutelaris Veſtra, neminem veſtrûm ignorare arbitror, Auditores; poſtquam eò uſque fortitudinis cœlitus acceptæ beneficio eſt progreſſa, ut, tanquam exuiſſet quidquid humanum eſt, habuerit in deliciis, quæ mortales toto ſolent animo averſari. Quæ cùm ita ſint, non indignum quid expectatione veſtrâ me allaturum confido, ſi CATHARINÆ fortitudinem in hodiernæ laudis aſſumam argumentum. Quod quidem ego vel inde adeò ad feſtæ lucis hujus ſolennitatem accommodatum magis mecum reputo, quòd & anno ſuperiore proximo CATHARINAM Sapientem Virginem hoc ipſo ex loco celebrari audijſtis, & tanta eſt ſapientiæ cum fortitudine conjunctio, ut, teſte Tullio, nemo ſapiens, niſi fortis. Invictum itaque mentis, animíque robur, quo ad prodigium uſque excelluit tenella Virgo, multò ampliùs conſpicietis, Auditores, poſtquam fortem illam demonſtravero, quòd Maximini crudelitatem non modò non extimuit, ſed provocavit; ampliùs, quòd blandientis Cæſaris lenocinia, thorum, thronúmque contempſit; maximè, quòd terribiliſſimæ mortis aſpectum non cohorruit, necémque pro divino Sponſo eſt perpeſſa. Hoc triplici incremento aſſurget, & cum Divæ noſtræ fortitudine creſcet per quosdam quaſi gradus oratio: vos quoque animum adjicietis, ut non minuatur, ſed perperuò creſcat attentio & benevolentia.

Fuit ea quondam AA. in hoc terrarum orbe mulierum fortium inopia, & ſolitudo tanta, ut vel unius pretium procul, & ab ultimis terræ, marísque confiniis Sacræ litteræ requiſierint: at ubi abrogata legis veteris ſunt inſtituta, Chriſtíque fides per regna mundi ſingula miris cœpit incrementis diffundi, cumulatè ſuperiorum temporum injuriam Chriſtiana ſibi vidit religio compenſari. Quot enim vel una vetus Roma conſpexit fœminas? quot ad rotas & ſecures damnavit virgines? quarum animi magnitudinem ſi æquo animo, ſi citra invidiam voluiſſet contemplari, pridem tanta fortitudinis exempla delubris, & ſignis ad religionem, & memoriam conſecrâſſet. Nam quot illa in Semideûm numero Heroes repoſuit, qui collati cum puellis his vix eſſe homines apparerent? Et profectò, ſi ſemper viris fortibus ſuus eſt habitus honos; ſi ſtatuis publicis, & perpetuis ad poſteritatis memoriam monumentis condecorati ſunt viri, qui doloris, & mortis contemptores pro ſalute Patriæ pectus ſuum telis hoſtium, vitam periculis objectârunt; quid fiat puellis illis, quæ pro virtute, pro religione, pro Numinis optimi maximi gloria cataſtas, mucrones, verbera, omnia cruciatuum genera, & ipſam denique

nique crudeliſſimam mortem, defixis ſtupore omnium animis, pertulerunt? Te ego Alexandria, Urbs Ægypti olim celeberrima, te inquam teſtem hodie appello; unquámne te obſtupuiſſe adeò hoſtes conſpexerunt tui, cùm vallis te inimicis cingerent, cùm ruinam mœnijs, everſionem ædibus hoſtiles machinæ minarentur; atque tum, cùm Virginem imbecillo corpore, ætate tenera, nobiliſſimâ ortam proſapiâ de Tyranni, & Cæſaris tui crudelitate videres fortitudine & patientiâ triumphare? Mirum, & non viſum antea victoriæ genus quos motus in tuorum animis excitavit, cùm ſævitiæ carnificum doloris contemptionem, Tyranni violentiæ magnitudinem animi, minis Cæſaris mentis conſtantiam CATHARINA opponeret, ingentíque expectatione attonita omnis populi multitudo operiretur: ſæviendóne ille citiùs, an hæc patiendo laſſaretur?

Diu anceps victoria tenuit, AA. quòd incrementis paribus hinc ſævitia, inde patientia: hinc furor, inde tranquillitas animi: hinc pudor, inde lætitia augeſcerent, quaſi de palma certaturæ. Vicit tandem fortitudo Virginis Regiæ, uno hoc Tyranno crudelior, quòd magnitudine animi doloris ſenſum ſuperans, quæ tenello corpore excepit vulnera, innocentiſſimo vindictæ genere in Maximini retorſit animum; quem unum hoc excruciabat graviſſimè, quòd hilari ex vultu legeret, appetentiorem eſſe ſuſtinendi Virginem, quàm ſe avidum torquendi. Ipſe nempe ſibi eſt tortor ſceleratus animus, acerbioráque ſunt vulnera furentis ſævitiæ, quàm plagæ innocentiæ patientis.

Feſſa jam, & repetitis interim ictibus defatigata concidunt carnificum brachia AA. ſtat tamen erecto, firmóque corpore Heroina invictiſſima, unúmque, & graviſſimum vulnus animo accipit, dum lora & flagella laſſæ tortorum manus deponunt. Locus tenello in corpore novo vulneri jam non eſt reliquus, iterari tamen crudelem exoptat lanienam; ut vel ſic plures per vias grandior mens eluctetur ad ſidera, notúmque orbi faciat, corpus debere citiús, cujus inquilinus magnus ſit animus, quàm mentis conſtantiam collabi.

At verò vana hæc ſunt magnanimæ Martyris deſideria; aliò ſeſe Tyranni vertit crudelitas, deſperánsque lacerando corpus victoriam, cruciamento ſenſuum altero optatam ſe ſperat palmam relaturum. Quid agis Maximine? Compedes pedibus denuo injicis? at minùs ſic â virtutis ſemita poterunt aberrare: Manus vinculis conſtringi imperas? ſed ut conſtantiùs in cœlum ſupplices protendantur: In carcerem denique detrudi ſanctiſſimam jubes Virginem, omníque pabulo deſtitui? at quæ in Numine ſpem omnem

collocat, vel ex fide vivit unica, vel virtus ipſa eſt ſufficiens ad ſuſtentandam vitam nutrimentum. Fruſtrà hìc tibi victoriæ ſpem concipis Tyranne; nam qui juſtitiam eſuriunt unicè, fame nequeunt à Chriſto & virtute averti. Viden', ùt onuſta vinculis gradiatur alacrior, ipsúmque catenarum pondus illius curſum reddat promptiorem? Quas manus reperies, quæ Sceptris ita & coronis ſuperbiant, ùt funibus hæc, & catenis ſibi Virgo plaudit, ac gloriatur? Totum corpus imbutum eſt ſanguine, membra dilaniata ſingula, virésque exhauſtæ; tuam tamen furentis contemnit faciem, neque obtutum in te unquam figit amiciùs, quàm dum tormenta illi, & mortes minitaris. At non advertit mentem ad ſanum conſilium ſui impotens animus; abripitur, quò effrænatus iræ fert impetus, & hæc pœna ſtatuta eſt â Numine inſanienti ſævitiæ, ut oſtenſam eminùs vindictæ delibet dulcedinem, quò ampliùs poſtea, & acerbiùs crucietur.

Abripitur ergo teterrimum in carcerem Pugil invictiſſima, ſed nova velut Cynthia in ſpeluncæ hujus tenebris fulgores novos, & radios â divino ſole mutuatura: duodenos dies integros omni cibo humanóque ſolatio deſtituta hoc in ergaſtulo relinquitur: CATHARINA ipſa obfirmato ad mortem animo jam Sponſi divini nuptias, jam cœleſte palatium anhelat. At enim etſi matura jam ſit cœlo Virgo Sanctiſſima, miniméque mereatur orbis, ut pretioſa hac ſui parte diutiùs glorietur; tamen vel contra amatæ Virginis deſiderium, ingenti cœleſtium Spirituum caterva ſtipatus, præſentem jam jam emorituræ Martyri ſe ſiſtit Servator optimus, cujus amplexu illa non tam in his carceris tenebris, quàm in æthereis ſedibus frui exoptabat. Superi! quale hoc, quàm jucundum, quámque utile CATHARINÆ Spectaculum fuit, quæ tanta inde beneficia eſt conſecuta? Sublata omnis illico ægritudo corporis; ad robur, & decorem priſtinum totum corpus redijt; in integrum coaluêre vulnera, ut ne cicatricis quidem uſquam veſtigium appareret. Atque hoc illud fuit prœmium AA. hæc corona Virgineæ fortitudinis, quâ Maximini ſævientis crudelitatem devicit: ut cœleſtibus nempe in terris abundaret delicijs, virésque ſibi ſentiret in ipſo vitæ mortísque confinio accreviſſe; atque ita de divino certa auxilio ad ineunda nova prælia, plurésque reportandas laureas virile pectus adornaret.

Atque iſta quidem tormenta tanta, has truculentas ſævientis Tyranni minas, ſi ſuſtinuiſſet modò invicto mentis robore Virgo fortiſſima; etſi ipſum hoc ſit præcipuum quid, & ſummum, mereatúrque templis & altaribus ad immortalitatem & religionem conſecra-

ri:

ri: commune tamen foret Sanctarum Virginum pluribus, nec haberet, unde ſingularem ſibi præ reliquis fortitudinis laudem generoſa Chriſti pugil decerpat. At tormenta tanta, & prævidere animo, & ſuâpte naturâ his ire obviam: ultrò in ſeſe provocare crudelitatem illius Cæſaris, cujus vel amicitia videri poterat formidanda; hoc enim verò invicti & fortiſſimi indicium eſt animi, virésque naturæ omnes tranſcendens. Et quid ſi Mulier hæc audeat, ad quæ & virorum fortiſſimus quisque exhorreſcit? quid ſi puella imbecillo corpuſculo, & annos ſupra decem octo necdum prætergreſſa? quid ſi Virgo, quæ & Sceptrum, & thronum, & conjugium tanti Principis non ſperare modò ſibi poterat, ſed polliceri? Sentio vos hìc mirari, & tacitè obſtupeſcere, AA. nec habituros vos mihi fidem exiſtimo, ſi dicam, eandem, tantum quæ ſit auſa, Virginem, CATHARINAM Tutelarem veſtram extitiſſe, niſi rem omnem veſtris alioquin conſcientiis teneretis conſtrictam. Et verò quis veſtrûm fortitudinem hujus Virginis aut dignis celebrare laudibus, aut ſatìs unquam potuit admirari? An edocta Chriſtianæ fidei dogmata ferociſſimum indololatrarum timuit conſpectum? An non ultrò ſeſe crudelitati ſuperſtitioſi Cæſaris obtruſit CATHARINA, dum fanum idolis refertiſſimum ingreſſa, Maximinúmque Dijs litantem patrijs aſperrimis verbis in conſpectu omnis populi adorta eſt, tum, cum occulta domi poterat latere? An expavit tempeſtatem, cujus tonitrua, & impendentia fulmina in ſe ultrò concitavit? O inauditam hunc ante diem tenellæ Virginis fortitudinem, & digniſſimam, quam totus terrarum orbis obſtupeſcat? Nam cùm virtutum omnium modica initio ſpecies, puſilla ſemina ſint omnia, fieri quî potuit, ut puellæ Chriſti Sacra recens amplexæ fortitudo ad ſummum faſtigium in ipſis quaſi incunabulis eluctaretur?

At non ſtetit hoc in culmine velut in præcipiti fortitudo Virginis; ſe ipsâ aſcendit altiùs, dum & amantis Tyranni blanditias, & oblati honoris illicia, conſtantiùs dicam, an fortiùs? contempſit. Quis neſcit, quàm periculoſa moveat prælia Amor? quàm potens fortitudinis ſit hoſtis? quàm facilè invictiſſimorum etiam heroum animos expugnet? Natura ipſa tacitis quibusdam igniculis infeſtiſſimo huic virtutis adverſario patrocinatur: quô fit, ut captivos nos non nunquam tradamus antea, quàm mentem ad periculum advertamus. Quod bellum ſi virili cuivis pectori eſt pertimeſcendum maximè, quid fiat, ſi ſocias jungat manus Amori Honor? Si hinc voluptatum lenocinijs, inde dignitatum illecebris impugnetur fortitudo media, victrix

ctrix quam diu, aut quemadmodum consistat? Advertitis, opinor, AA. pro Sapientia vestra, quantum in discrimen Tutelaris vestra adducta sit, quando geminos hos illi contra hostes depugnandum fuit, adeò: ut effugio jam nullo reliquo, aut superandus uterque, aut campo esset victæ decedendum.

Egredere ergo Virgo pulcherrima, ex abstrusi carceris angustiis, quam Amor ad regalem vocat thalamum; relinque miseri squallores ergastuli, dum Sceptrum, & coronas tibi Honor ostentat; in arenam denique procede publicam, ut cominus te binos simul contra hostes decertantem spectemus. Et verò jam venientem eminus mihi intueri videor; stipant latus Aulici, comitantur ponè satellites, non ut vincula injiciant manibus, sed ut genua futuræ Cæsaris Conjugi incurvent. Præstolatur Maximinus novam Sponsam superbo in palatio, nihílque abest, quin solidum, plenúmque sit gaudium, præterquam quòd moræ impatientiâ interturbetur. Virgo ipsa amœno vultu spirat lætitiam, & mente nuptias, & amores animo volutat. Ambit coronam, viam affectat ad solium; nec ad inferius quid summi Imperatoris palatio aspirat. At nolo hìc ego vos diutiùs inani metu suspensos AA. Nihil de virtute, nihil de religione, sua de fortitudine nihil ingentis animi Virgo remisit. Nam quod exoptat palatium, humanis nequit usurpari oculis: quam coronam anhelat, cœlestibus in templis adornant cœlites: quas expectat nuptias, nequeunt, nisi cum Christo, Sponso Virginum, iniri. Huic illa casti pectoris nives, huic fidem, huic amorem omnem consecravit. Ità ergo comparatà animo jam Maximini subit conspectum imperterrita, non jam hostem, sed amicum Cæsarem debellatura. Videte AA. ut corona Procerum inclinet vertices; ut flectat poplites famulorum cohors innumera; ut amicè exceptam viri Principes ad ipsum deducant solium; ut adstantium singuli, suæ veluti futuræ Dominæ fideles subditi, felicia faustáque omnia precentur. Imperator ipse Majestatis suæ jam nescius è throno desilit, amplexum primum amatæ ut Sponsæ impertiatur. O subitas enim verò rerum terrenarum vicissitudines? O incredibilem humanorum cordium inconstantiam? O vanas mortalium spes & expectationes? AA. Quem Cæsarem furentem antea amico usque, hilaríque vultu intuita est Virgo Regia, contractis nunc in fronte rugis excipit, aversáque facie repellit amantem. Fremunt Proceres; indignantur satellites, diris omnibus constantiam Virgineam devovent, miráque hærent cunctorum animi admiratione suspensi: Maximinus unus &

pudo-

pudoris, & doloris patiens repulſam quieto ſuſtinet animo, non deſtiturus antea, quàm ſua in vota CATHARINAM pertrahat, quocunque demum foret pretio nobilis hæc præda redimenda.

Nihil agis Tyranne; nequit è ſilice ignis, niſi conflictu lapidum, tritúque elici, nec è pectore hoc adamantino, niſi ferrô, & chalybe amorem extundes. Jube rotas erigi, caput ſubjici ſecuribus, in mille partes diſtrahi, & diſcerpi corpus; aut nunquam, aut hoc nuntio caſtiſſimæ affectum Virginis tibi poteris conciliare. Placent hæc quidem ſupplicia Tyranni ſævitiæ; ſed non grata ſunt conſilia Cæſari amanti. Non jam novis fœdari plagis vult Virginem, quam thori cupit ſociam; nec pateretur amor proprio cruentari ſanguine, quam nuptiali optat purpura rubere. Ad blanditias igitur prioris oblitus repudij Imperator revertitur; jactat regni potentiam; oſtentat divitias; & ſceptrum, & Coronam abjectam toties, conſtanti Virgini iterum atque iterum obtrudit. Nec ſatis hoc: ſubornat proceres, ut fortunam attollant Cæſarum, commendent divitias, virtutis imminuant pretium, & modis, quibus poſſent, omnibus ad everſionem puellæ innocentiſſimæ collaborent. At ſtetit hæc inter, velut excelſa rupes medias inter undas immota, Virgo fortiſſima, & mente in cœlo defixa tumultuantes infra fluctus deſpicit; qui dum ſpem inter & metum, quodam quaſi turbine agitati, circùm minaces diu feruntur, & tumidi, ad ſcopuli tandem latus illiſi, fracto impetu, ſuas eludi vires indignantur. Altero jam certamine victricem ſpectatis defungi Tutelarem veſtram: AA. & vel inde hac in arena fortitudinis decus nobilius videri vobis debet conſecuta; quòd dolor antea, externus hoſtis; nunc amor, & ambitio, inſidiatores domeſtici, forti fuerint Heroinæ debellandi.

Venio jam ad id, quod caput eſt, & ultimam quaſi virtutum ſingulis imponit coronidem; dum ad periculorum omnium compendium progredior, & grandium facinorum complementum. Hoc ſi expaveſcas prælium, quisquis fortitudini nomen conſecrâſti, Heros; ùt ùt timores antea, & amores viceris, ſuccubuiſti. Poſt immania nempe cruciatuum genera, poſt eluſas furoris minas, poſt devictas amoris, honoríſque illecebras mors ipſa eſt fortitudini, ut conſumetur, debellanda. Video hìc ego veſtrûm aliquos mirari AA. quid ſit, quòd, cùm mortem videamus in votis eſſe non paucis, nonnullos ultrò ſibi adſciſcere, tantum ego pretium in hac victoria reponam? Quibus quidem ego (quanquam non tam in me, quàm Sophorum Principem ſunt injurij, qui terribilium omnium terribiliſſimum

mum mortem exiſtimavit) pauciſſimis tamen, ùt potero, reſpondebo. Duo hominum ſunt genera, ùt ipſi pro Sapientia veſtra noſtis AA. alterum externâ contentum ſpecie res, non ùt ſunt, ſed ùt primo quoque intuitu videntur, accipit: alterum naturam ipſam ſcrutatur reconditam, ac in omnes, quæ circumſtant, difficultates, & pericula acutiſſima mente indagat. Et verò rem tu hìc mihi magnam præſtiteris Adverſarie, ſi ultimum illum vitæ articulum non vehementiſſimè expaveſcere oſtendas eos, quibus notum optimè, momento temporis unico, & omnem hominum fortunam verti, & terrenna ſolatia relinquenda ſingula, & pro cœleſti, æternáque patria dimicandum tam acriter, ut, quibuscunque demum virtutibus armatus ad hoc te accingas prælium, nunquam tamen ſis certus de victoria, & ſi viceris etiam, non tuæ opus eſſe fortitudinis, ſed miſericordiæ alienæ.

Atque hæc perſpecta, exploratáque habebat ſingula, ùt erat Virgo Sapientiſſima, Tutelaris veſtra: novit humanam omnem ſupra fortitudinem hujus certaminis eſſe victoriam, ſibíque plus etiam, quàm poſſet, ut ne ſuccumbat, fore contendendum. At nihil illa ad has cogitationes commovetur animo; periculoſam necis non extimeſcit aleam; quin terribiliſſimæ mortis aſpectu paſcit mentem, majúsque robur ibi accipit, ubi fortitudo ipſa, ſi uſquam, poſſet laſſari.

Alligabatur jam crudelem ad machinam Virgo conſtantiſſima, & rotas inter acutis armatas mucronibus media in momenta ſingula fatalem impulſum læto pectore præſtolabatur. Aſſurgunt interea crines ad triſte Spectaculum circumfuſo populo; tremunt ad inauditum crudelitatis obſequium invitæ carnificum manus; Maximinus ipſe, ſpectator eminus, ùt ùt torquendæ CATHARINÆ avidus, ad novum tyrannidis ſuæ inventum exhorreſcit. Una hæc inter quieta mente, hilarîque vultu ſibi conſtat Martyr invictiſſima, tum ſolùm commota animo, cùm occulta vi diſſolvi machinam, ſéque vivam, & integram intuetur. O aſpectum mortis morte quavis terribiliorem! AA. hunc quæ impavido perferre animo Virgo potuit, quos equuleos, quæ tormenta, quos cruciatus expaveſcat?

Stupet ad hæc certè victa, & luſa toties Cæſaris crudelitas, & tanquam miteſceret, molliſſimo mortis genere è medio tolli Virginem imperat, adeò ut omnis jam populus in Maximino Maximinum quæreret, nusquam tamen inveniret. Capite ergo CATHARI-

NAM

NAM plecti jubet, ſatis amplum immanitatis ſuæ relaturus pretium, ſi victricem toties viraginem, quocunque demum modo, ſibi intueretur ſuccubuiſſe. Hoc ad nuntium quantis geſtiêrit lætitijs magnanimum CATHARINÆ pectus, quis verbis exprimat? cui Chriſtus vita erat, & in delicijs, ſed infra votum, ſemel mori. Mille ſibi exoptat capita, colla mille, quæ ſecuri ſubjiciat; & ſi mille haberet animas, vitas mille Divino Sponſo impenderet, nec ſic tamen ſatiaretur. Sed ne diutiùs morer deſiderium veſtrum, huc oculos conjicite AA. Stat jam ſub gladij ictu virago fortiſſima; jam collum niveum lictori porrigit; jam trunco reſectum caput decidit, quod etiamnum, vel mente vacuum, fortitudinem ſpirat, & divinos amores. Fluunt cruoris locò uberes lactis rivuli, ſed ad tormentum Tyranni maximum, qui non ſitit, niſi cruorem. Hæret circùm attonitus lictorum, & ſatellitum manipulus, vix fidem propriis habens oculis, potuiſſe Virginem, quæ mortis genus crudeliſſimæ eluſerit, tam levi ſupplicio interire. Hæc dum ſtupet, intuetur, & adhuc, dum videt, an credat, dubia multitudo populi, reſeratis olympi poſtibus adventant Angeli, abreptóque ſecum in aëra ſanctiſſimo corpore trans mare Palæſtinam versùs triumphali pompa avolant, Auguſtiſſimum in monte Sinai fortiſſimæ Chriſti Pugili monumentum, ſed humanis non videndum oculis, adornaturi.

At nos interea, dum cœleſtes genij juſtas perſolvunt inferias ſancto corpori, ad te convertimus animos Virginea Anima, puſilli olim inquilina corpuſculi, at vel ſic uſque maxima, quia ſemper fortiſſima & victrix. Fortis eras, cùm Tyranni ſuperares ſævitiam, ultróque te offerres cruciatibus, quos citra flagitium latendo poteras devitare: fortior, cùm amantis Maximini blanditias contemneres, Amorémque & Honorem, hoſtes geminos, uno velut ictu vinceres, mori eligens, dum poteras imperare: fortiſſima, cùm & terribiliſſimæ aſpectum mortis hilari ferres animo, necémque intrepida pro divino Sponſo ſubires, ignoto mundi victoribus triumphandi genere conſumatæ victoriæ lauream non niſi ſuccumbendo reportatura. Triumpha igitur Virgo fortiſſima! glorioſiſſima Chriſti pugil triumpha! & dum cœleſti in Patria jam tui ſecura abundas gaudijs, ad nos quoque clientes tuos adverte oculos, qui ſpem inter & timorem adhucdum mille cum periculis colluctamur. Quem obtutum in nos tuum & patrocinium dum ſupplicibus votis à te poſcimus, cùm nulli, tum minimè inclytæ facultati huic, quam tuis honoribus

intueris addictiſſimam, debes denegare. Quòd ſi olim, in terris dum ageres, tantum fuit tuum alienæ ſalutis ſtudium, ut ſuperſtitioſos Philoſophos, vel invitos ad felicitatem adduxeris; non poteris modò jam cœli incola, tuo præſidio deſtituere ſupplices, quos de religione æquè, ac ſapientia in dies cernis optimè mereri.

D I X I.

misc
16

C743846
18AG17